fragmentarium

X. 2.

domo patris mei habundant panibus?
Si igitur secum fuit: unde ad se re-
diit? Hunc ergo venerabilem vi-
rum secum habitasse dixerim.
quia in sua semper custodia cir-
cumspectus: ante oculos conditoris
eius se semper aspiciens: se semper
examinans extra se mentis
sue oculum non divulgavit.
Quid est ergo quod de apostolo petro
scriptum est cum de carcere ab
angelo eductus fuisset. qui ad se
reversus dixit. Nunc scio vere quia
misit dominus angelum suum
et eripuit me de manu herodis
et de omni expectacione plebis
iudeorum? Duobus mo-
dis petre extra nos ducimur,
aut cum per contemplacionis
graciam super nosmetipsos leva-
mur: aut cum per cogitacionis
lapsum sub nosmetipsos duci-
mur. Ille itaque qui porcos pavit,
vagacione mentis et inmundi-
cia sub semet ipso cecidit. Iste
vero quem angelus solvit eiusque
mentem in extasi rapuit: extra
se quidem set super semetipsum
fuit. Uterque ergo ad se rediit quando
et ille ab errore operis se collegit ad
cor: et iste a contemplacionis cul-
mine ad hoc rediit. quod in intellec-
tu communi prius fuit. Venerabilis

ergo benedictus in illa solitudine
habitavit secum. in quantum
se intra cogitacionis claustra
custodivit. Nam quociensque eum
hunc contemplacionis ardor
in altum rapuit se procul dubio
sub se reliquit. Pla-
cet quod dicis. Sed quaeso respondeas
si fratres deserere debuit.
quos semel suscepit.
Ut ego petre existimo ibi aduna-
ti equanimiter portandi sunt
mali ubi inveniuntur aliqui qui
adiuventur boni. Nam ubi om-
nimodo fructus de bonis deest. fit
et aliquando de malis labor supua-
cuus. maxime si e vicino cau-
se subpetant que fructum deo
valeant ferre meliorem. Vir
itaque sanctus propter quem custo-
diendum staret, qui omnes una-
nimiter se persequentes cerne-
ret? Et sepe agitur in ani-
mo perfectorum quod silencio
pretereundum non est, quia cum
laborem suum sine fructu esse
considerant: in locum alium
ad laborem cum fructu migrant.
Unde ille quoque egregius pre-
dicator qui dissolvi cupit et
cum christo esse, cui vivere christus et mori
lucrum, qui certamina pas-
sionum non solum ipse appetit,

V, 16
29

F/47

License: cc-by-nc – Exeter, Exeter Cathedral Library, F/47, b recto – Gregory the Great, Dialogorum libri iv
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-8xdp/4102/43205)